166

Nobilissime et Amplissime Vir, fautor Colendissime.

Debui et volui, teste filio, jamdudum Nobilitati Tuae rationem aliquam studiorum ipsius reddere, verum nescio, an, et quo naturae vitio Nob. Tuae curas publicas turbare metuerim. In iis, quas ante octiduum Monnickelandiam curandas Hagam miseram, qualemcunque ejus mentionem feceram; verum illae eo non pervenere, sed relatae mihi sunt: quid obstaculi positum fuerit, non constat. Segniter filium et cultum et impulsum non injuria N. Tua conqueritur. Experientia testis est. Miror. Ingenium ei satis aptum est ad studia, et sine calcaribus facillimum. Dubito an fidem sim impetraturus, si ipsum et Etymologiam et Syntaxin dedidicisse scripsero. Conjugationes et declinationes firmissime iterum imbibit. Verum de Syntaxi quid agam, suspensus haereo: consilium vero N. Tuae desidero: Scriptum exemplar habuit, e manibus illud periit, non hic, sed jamdudum Hagae; in memoria vix vestigia ejus apparent reliqua. Christianus et Maur. addidicere eam, quam G. Vossius conscripsit, quotidie, quae componunt et explicant, ad regulas hujus applicant; hinc usu quidem ejus praecepta ac regulas familiares sibi redderet: sed et eam, quam Nob. Tua ipsi praescripsit, quia semel memoriae jam mandavit, facile sibi iterum imprimeret. Habuit exemplar Dni Brunonis, promisitque se descripturum denuo, sed laborem illum fugere aliquantulum videtur. Initium tamen jam fecit horis succisivis: alias non impenderet, metuens, sibi hoc impedimento fore, quo minus cum Christiano pergere possit. Zulichemii ante octiduum fui; toti tum erant in resarciendo damno inflicto, monui sedulo, pergerent, promisere, et fecere etiam, heri quippe secundo eo deambulavi. Subsistere dies quatuor vel quinque fuere coacti, ob copias aquarum, quibus opertam molem vidi, continuaturi opus inceptum, quam primum aquae imminutae iterum fuerint: diebus sex septemve credo ipsos opus absoluturos: virgultorum palorumque satis in promtu jam habent, nullaque re alia, nisi solis aquis impediuntur, quo minus pergant et conficiant. Quaestor Monnickelandiensis pecuniam dictam numeravit. Vale Vir Nobilissime, et fave

In damni sarcitionem impensis nil certi quidem definire potuere, sed judicant 3000 florenorum, plus minus &c.

Gouderoije 15. Febr. st. v.
1647.

Nobilitatis Tuae
summo observatori
Johanni Lampe.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.
ARCHIEF [illegible]
BPL 2212

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

110

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

Mijn Heere

Mijn Heere van Zulichem
Ridder, Raedt ende Secretaris
van Sijn Hoogheijt.

In 's Gr.
Haage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553